QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis
17 *Martii* 1722.

M. LUDOVICO LEMERY,

Doctore Medico, Regiæque Scientiarum Academiæ Socio, Præside.

An, ubi Pestis, ibi sani & ægri solis Vegetabilibus alendi?

I.

PESTEM esse morbum quovis alio longè tetriorem, numerosisque stragibus verè terrificum, dira clamat experientia. Eam maximè arguunt Bubo, Carbunculus, *Exanthemata*. Febrium malignarum extremum censeatur. Qui hanc contagione grassari negat, is voluntariâ cæcitate deceptus, vel litigandi prurigine jactatus, vel aliâ quavis causâ miserè illusus, mediâque luce cæcutiens asserat quoque, *nil intra esse oleam, nil extra esse in nuce duri.* Contagium contineri ne dubita in particulis tenuissimis, salino-sulfureis, maximè evolutis, quas ab irrigante corpus ægrum liquore secretas perspiratio effundit, quas nova vis & iterata evolutio ab aëre inducta exacuit, quas æthere ex uno corpore in aliud vehente sequitur fermentatio Symptomatis tam horrendi mali gignendis congrua. Corpus enim si isti veneno suscipiendo multiplicandoque obnoxium deesset, *miasmata* pestifera aëre passim disjecta elanguescerent, consumerentur, depositâque malignitate vanescerent. E pestilenti corpore emissæ particulæ sanorum liquores, quibus incurrunt, ad instar fermenti exagitant: eodem ferè pacto, quo massæ farinaceæ priùs fermentatæ portiuncula maximam novæ massæ quantitatem ciet pariter in fermentationem. Volitans lues ramosis vestium partibus facilè irretitur: hæc ultra certos aëris limites vim exitialem nec servat nec exerit, neque tantùm in medio aëre transitum vehiculumque nanciscitur, sed & ulteriorem elaborationem, quâ necessariò eget magna ejus pars, ut in solidas liquidasve corporis partes sævire valeat efficaciùs. Haud aliâ ratione vestes eo veneno afflatæ capsisque accuratè obturatis inclusæ, multos annos pestiferum fermentum, quod, aëre nec aspirante nec excitante, torpuerat inerti situ, integrum nec effetum servavêre; idem deinceps admisto aëre evectum illapsumque corporibus idoneis pestem passim derivavit. Idipsum videre licet in quibusdam *phosphoris*, qui in ampullâ diligenter occlusâ quandiu coercentur, lucem non edunt, vimque suam diutiùs retinent; si verò aëri externo exponantur, flammam concipiunt, corpora quædam inflammant, tandemque in tenues fumos avolant. Absit tamen opineris, auram hanc pestilentem in quoslibet esse æquè efficacem: scintillâ quidem corpora omnia igni concipiendo apta non corripiuntur; hæc si in ligna virentia inciderit, erit inefficax; si in carbones ex iisdem lignis paratos, in quibus sulfura sunt magis evecta, aqueisve partibus magis orbata, ii exardescent: idem de liquoribus nostris; hi pro variâ suâ indole à pestiferis corpusculis variè afficientur. Ut febres malignæ, ita Pestis plerumque à pravis alimentis, unde postmodùm vitiosus sanguis. Et verò experientiâ compertum post annonæ caritatem, egenos cibis pravis uti coactos, ut plurimum morbis malignis affligi, ditissimos posteà contagione invasuris: nec, nisi annonæ difficultas subindè temperaretur, dubitandi locus, quin contagium, nedum elanguesceret, contra invalesceret in dies, ac tandem in veram pestem degeneraret. Indè patet, quod, peste alicubi vigente aut imminente, ibidem cura diætæ sit magnoperè intendenda, nec vitandi modo cibi pravi, sed & eligendi, qui laudabilem liquorum *crasim* servent, pesti opportunam immutent, contagio vitiatam corrigant; victum denique sanis & ægris maximè accomodatum præbeant.

A

II.

EXTANT in rerum naturâ corpuscula tam solida, & essentialis figuræ, unde peculiares & immutabiles ipsorum proprietates, adeo tenacia, ut rapidissimos inter corporum motus conflictusve stent intemerata: ejusmodi sunt ignis (sulfurum principium), aër, acidum (salium principium), aqua, terra: quæ quidem prima corporum naturalium elementa habeantur. Materia quævis sulfurea quoddam est coagmentum vesicularum elemento igneo turgidarum; ex acido autem aliis elementis variè immisto salium discrimina. Ne tamen existima, satis esse ad assequendam intimæ mixtorum texturæ notitiam, si hæc elementa noveris, & quot ex singulis in quolibet mixti genere. Ut elementa grammatica, sic & corporea: ne cognito quidem quarumque litterarum orationem componentium numero, hanc intelliges, sed quolibet ex litteris conflato vocabulo vocabulorumque ordine expensis. Ex variâ elementorum conjunctione variæ exsurgunt moleculæ, quæ rursùs variè ordinatæ varios pariunt liquores. Liquet ergò, quanti intersit ad perfectam liquorum nostrorum cognitionem, tum elementa, tum moleculas ex iis conflatas, tum ipsarum ordinationem indagasse. Hæ moleculæ vel sunt salinæ, vel pingues, vel aqueæ. Salina liquorum portio existit ex sale ammoniaco, quale v. g. componatur ex sale volatili-alcalino & acido quovis, sed potissimè nitroso; alii etiam occurrunt sales concreti ex acido intra matricem fixam incluso, sed hi ammoniaco rariores. Ad legitimam horumce liquorum temperiem, prædicta salia cum portione pingui probè misceantur; indè innumera ad functionum integritatem commoda. 1°. Enim salium aculei, alioqui partibus nervosis membranosisve irritandis apti, involuti mitescunt; deinde pinguia, aliàs partibus aqueis permisceri inepta, salium ope, aquâ solvuntur, simulque per tenuissimos vasorum ramulos facilè feruntur. Ubi autem jugi liquorum fermentatione salia aut sulfura quædam nimis evoluta sejunguntur, hæc perspiratione, illa urinis præsertim amandantur; utraque, si restitent, noxia: succi verò, qui non tantam particularum evolutionem, majorem tamen, quàm nutricii, passi sunt, (qualis bilis, à salibus evectis oleosisque partibus fermentationis vi torrefactis amarorem adepta); hi, naturâ regente, congeruntur in receptacula quædam, indè in primas vias manaturi, ceu totidem chyli fermenta. Dulce à mixturâ salium & oleorum exquisitâ: quæ cum sit hujusmodi in succis nutritiis, non mirum si ipsi dulces & balsamici: quò firmior iis inest salium sulfurumque nexus, eò efficaciùs obsistunt causis quibuslibet huic amicæ societati blandæque succorum dulcedini adversis. Quid jam è dissimili liquorum affectione mali accidat, è lacte in loco calido aliquandiu reposito æstima: tunc adventante fermentationis motu, salina illius portio è pingui extricata, sero, quo abripi pergit, non amplius dulcem sed acidulum conciliat saporem; ramosæ vero portionis pinguis partes, salium ope à se invicem non ut prius disjunctæ, ob similitudinem coeunt, crassioresque pariunt moleculas, sero indissolubiles, fundumque petentes, quemadmodum fit in præcipitationibus metallicis. Si quid simile in liquoribus nostris contingit; jam portio eorum serosa, salibus evectis feta, *Rheumatismos*, Tussim, *Catarrhos*, Dolores, Convulsiones pariet; jam portio pinguis concrescens obstructiones, tumores, *phlogoses*, & alia afferet incommoda. Tandem progrediente ulteriùs dissolutione, (quod videre est in morbis extremis, in peste videlicet, febre pestilentiali, variolis malignis, in quibus sanguis undequaque sæpiùs erumpens *hæmorrhagias* excitat leto proximas); non tantùm salinæ partes à sulfureis sejunguntur, sed etiam quælibet portio sejuncta in partes adhuc simpliciores resolvitur, nempe sal in acidum corrosivum, & sulfur in materiem causticam, *phosphori* naturam æmulantem. Tanto malo obstare in votis est? fac, aut serves, aut restituas, alimentorum ope, salinas inter & sulfureas liquorum particulas blandum societatis vinculum.

III.

TRIPLEX Naturæ officina, ubi corpora eadem varias fermentatione subeunt alterationes; prima in terræ penetralibus, secunda in plantis, tertia in animalibus. Quæ è terræ visceribus eruuntur materiæ sulfureæ, densiori compage majorique partium terrearum copiâ donantur: eædem è terrâ in plantas, è plantis in animalia translatæ explicantur tenuanturque magis ac magis & leviores fiunt. Oleum minerale, utpote crudum, aliquatenus indigestum, parùmque ductile, salium superficiei minùs illinitur, leviterque adhærescit: idcircò quæ destillatione è mineralibus, sale v. g. & sulfure communibus, vitriolo, alumine, eliciuntur acida, nativam corrodendi vim magis retinent, quàm quæ eâdem viâ è vegetalibus, in quibus sulfura magis elaborata salium aculeos accuratiùs implicant, iisque tenaciùs alligantur; quod quidem patet in certis fructibus, maximèque in uvâ, ubi licet oleorum & acidorum requisita adsit proportio, dùm tamen est immatura, ipsius oleum è terrâ recèns haustum, necdum fermentatione satis subactum, acidis ap-

primè conjungi nequit, unde sapor illius austerus, acerbus, acidus, qui postmodùm maturescente fructu dulcescit, hoc est, laxatâ sufficienter oleorum compage, simulque junctis, ut par est, salium & oleorum partibus. Tandem olea in animali officinâ ulteriùs evoluta acidas partes adeò arctè amplectuntur & undequaque contegunt, ut hæ nulla sui vestigia præbeant vulgatâ animalium *analysi*, &, nisi accuratiori processu patefierent, ab animali familiâ prorsùs abesse crederentur. Quid plura? ex omnibus ferè corporibus tum vegetalibus tum animalibus cum alumine rectè calcinatis, fit pulvis aëris contactu inflammabilis; non item ex oleis mineralibus, utpotè minùs evolutis; &, cum sulfur animale tenuitate partium vegetabili ut plurimum antecellat, propiùsque ad punctum destructionis vesiculatum elemento igneo turgidarum accedat, non solùm pulvis inflammabilis è sulfure animali & alumine paratus vegetior esse solet quàm ex vegetabili, sed & animale regnum variorum *phosphororum* tùm spontè tùm arte factorum feracius est quam vegetale. Quod jam salia in triplici regno contenta spectat; acidum elementare idem est ubique & uniusmodi, nec ullam ex aculeorum varietate patitur differentiam, sed ex particularum heterogenearum, quibus penitùs expedire se nusquam valet, admixtione: acidum ergo in terræ sinu ita afficitur, ut è mineralibus sub duplici formâ emergat, quale 1°. è sale communi aut gemmeo, 2°. ex alumine, vitriolo, sulfure communi educitur: idem plantas ingressum, minerali formâ raptim aut sensim amissâ, nitrosum evadit, vel demùm tale fit in animalibus, si minùs in plantis. Acidorum matrix in quovis regno varia: in minerali, plerumque fixa, terrea vid. aut metallica; aliquando volatilis, unde sal ammoniacus, ibi quidem rarior quàm in plantis, in quibus plurimi sales concreti priùs in terræ sinu matrice fixâ donati, volatilem indipiscuntur. Licèt autem sal ammoniacus sit in vegetali regno sat frequens, ibi tamen parcior quam sal concretus è fixâ matrice existens: tandem quæ in plantis formam ammoniacam non induerunt salia, eam pleraque in animalibus sortiuntur, depositis fermentatione particulis terreis, oleosisque in earum locum suffectis; hinc paucissima in iis occurrunt salia fixa.

IV.

EX dictis liquet, 1°. in quo consistat alteratio inducta salinis sulfureisque partibus alimenti vegetabilis in succos corporis nostri nutritios conversi, 2°. quod cibus animalis nondum corpus nostrum ingressus, eamdem profectò salium sulfurumque evolutionem in alio corpore jam subierit, quam in nostro tandem cibus vegetalis: ille ergo ingestus in stomachum, indeque in alias partes, eadem relegit organa, quæ priùs in animali unde prodiit, lustraverat; & in singulis explicatæ denuò ipsius partes ad separationem jam vergere incipiunt. Quamvis enim salia & olea ad certum usque gradum evoluta, apprimè tunc sociëntur; his tamen ultra modum evectis, non solùm jam laxantur eorum vincula, sed & ulteriùs perseverante fermentatione, planè resolvuntur, atque nativa cujusque moleculæ tum salinæ tum oleosæ compositura evertitur. Et quidem si ex animali depromti succi dulces ac temperati (qualis lympha aut carnis musculosæ decoctum validum) digestioni diutiùs permittantur, oleosa salium ammoniacorum involucra ita se sensim acidis expedient, ut vel minimo calore in auras facilè evanescant; quod priùs eodem caloris gradu minùs fieri potuisset; præterea aliis partibus oleosis tenuioribus pariter avolantibus, major acidorum copia sui juris fiet; denique pars oleosa fixior & resinosa, caustica evadet, utpotè quæ diuturniori fermentatione subacta ac detrita igneam materiem intra vesiculas minùs coerceat, faciliùsque ex iis evomat; quapropter ex hac massâ partibus heterogeneis accuratiùs segregatâ parari poterit *phosphorus* aëris externi contactu flammam concipere idoneus, acidorumque evectorum, gremio adhuc contentorum, tam parùm tenax, ut hæc aquâ, in quam asservandus immergitur, facilè avellantur. Si quid igitur tale aut analogum peste correpti liquoribus accidat, ex eoque exhalantia *miasmata*, quasi totidem fermenta, luem pestiferam aliò referre valeant; quò magis liquores iis obvii ad eum evolutionis statum jam accesserint, in quo salia & sulfura disjuncta ulteriùs resolvuntur, eò faciliùs *miasmatum* nisui obsequentur: porrò ex cibis animalibus conflati liquores, utpotè valde evoluti, sunt maximè istius modi; & quemadmodum variis processibus ex materiis animalibus promtiùs quàm è vegetalibus conficiuntur *phosphori*, iique frequentiores ac vegetiores; ita etiam cibi animales in corpus peste ictum ingesti, liquorum malignitatem à nimiâ evolutione oriundam multò citiùs induent & multiplicabunt, quàm vegetabiles. Cæterum ne mireris, nos pestis causam in succis, quorum acida revixerunt & olea *phosphori* naturam æmulantur, reponere; nec putes, nos chymiæ adeo adulari, ut id unum in rerum naturâ percipere aut animo fingere possimus, quod priùs fornacibus patefactum; tandemque naturæ operationes chymicis multò remissiores, igneis & corrosivis corporum particulis exsuscitandis prorsùs esse ineptas. Contrarium pate-

bit, si cogites, è poris plurimorum animalium vel sanorum continuò avolare particulas sulfureas tenuiores & lucifetas, nocte præsertim conspicuas; è felibus v. g. inverso pilo ad dorsum asperè frictis, è nonnullis millepedis crucisve, è carne bovillâ, quæ recens licèt, apud Lanios lucem aliquando emittit; tandem & frequentet ex ipsis etiam hominibus; si enim è tenuissimâ catbaso cæsitium solidâ die collo circumvolutum, vespere in loco penitùs obscurato raptim extendatur, innumeræ subito emergent scintillulæ, intra cæsitii plicas depositæ. Si igitur in corpore hominis sano *phosphori* sat frequentes, hos multò adhuc esse frequentiores verisimile in morbis extremè malignis, ubi succorum evolutio longè major.

V.

IN Urbe, quam affligit Pestis, aëris puritati totis viribus incumbendum, cavendumque imprimis, ne quid è variis corporibus exhalet, quod contagium alat & promoveat; imò malignis *miasmatis*, quæ è corporibus peste contactis continuò effunduntur, aër ipse, quantùm potest, expurgandus, combustis vaporatisque partibus quæ venenata *miasmata* aut absumant aut ita implicent, ut evadant, si non inertia, saltem minùs efficacia: talia sunt permulta salibus sulfuribusque gravida tùm mineralia tùm vegetalia, ex quibus plurima suavem spargunt odorem. Sedulò autem arcendæ ac devitandæ pravæ exhalationes è materiâ putridâ aut putrefactioni proximâ erumpentes, quæ sulfur arguunt nimiopere explicatum, ad *phosphori* naturam, ut ita dicam, accedens, induendæ fermentorum pestilentium in aëre volitantium indoli, iisque multiplicandis quam emendandis aptius. Ejusmodi sunt materiæ animales; nec dubitandum, quin cibaria ex animalibus annona in loco peste infecto comparata, materiam præbeat plurimis vaporibus sanitati maximè noxiis, nec nisi interdicto horumce alimentorum usu cohibendis. Quid enim putidius, quam lanienæ, piscaria fora, tùm carnibus & piscibus prostantibus, quæ recentia licèt, malè semper olent, & levissimâ causâ corrumpuntur, unde odor pessimus; tùm etiam occisorum exenteratorumque animalium sanguine & excrementis; nec tantùm mortuæ sed & vivæ animantes tenuissimis sulfuribus aëra continuò inficiunt per insensilem transpirationem & per olidos è biliosis urinalibusque excrementis vapores. Deinde cùm excrementa animalium, quæ plantis vescuntur, longè minùs feteant quam carnivororum, si carnium pisciumque esu abstineant infectæ Urbis Incolæ, putridis vaporibus minus aëra contaminabunt. Præterea animalium in eâdem Urbe comparatio majoris est laboris minusque commoda; iis enim ipsis providenda sunt alimenta; unde annona duplex: satius ergo, si sola vegetabilia colligantur; hæc enim nullo rursùs egent alimento, excrementa fœtida non dejiciunt, haud ita promtam corruptionem subeunt quam caro & piscis, &, si corrumpantur, multo minus fetent: insuper illorum succi temperatiores. Fatentur ultrò probi peritique Medici, utiliora esse & magis congrua, saltèm in morbis acutis, jusculа ex hordeo, oryzâ, avenâ & similibus, quàm ex carne: & nisi obstet malè præconceptus timor, ne inedia consumat, hæc potissimùm diæta in Peste, quæ alio quovis acuto morbo accuratiorem postulat, usurparetur. Denique alimenta vegetalia sanis & ægris in peste præstabiliora esse, hinc etiam dijudica: attendenti patet, nos à Naturâ sapienti rerum nobis utilium procuratrice, non fuisse constitutos, ut cibis animalibus uteremur: Et vero ex animantibus aliæ carne, aliæ plantis vescuntur; illæ præter instrumenta naturalia, quibus prædam rapiant, lacerent, crudamque digerant, innato etiam instinctu in eos cibos feruntur, iisque maximè videntur delectari; hæ licèt aliquando toto corpore præsertimque ore valentissimæ, tamen armis carent ad eosdem usus accommodatis, & ab ejusmodi cibis abhorrere videntur, nedum eos appetant. Atqui carnivoris animalibus homo haud annumerandus: etenim pleræque plantæ nullo aut saltem exiguo indigent apparatu prævio, ut in cibum nostrum vertantur; quasdam imparatas vulgò edimus, &, si quas paramus, magis ut gustui serviamus, quam ut necessitati, quæ ad summum, ut leviter ex aquâ bulliant, jubet. Contrà animales cibi (paucis exceptis) coctione necessariò egent, ut fiant palato & stomacho tolerabiles: præter quam quod enim insitâ quadam repugnantiâ ab istiusmodi alimentis crudis Natura nos avocat, instrumenta quoque quibus animalia lacerentur, terantur, digeranturque, nobis denegavit: hæc igitur non à naturâ, sed ab arte, quæ postquàm coctione istos cibos gustui & stomacho conciliavit, variis condimentis adeo suaves effecit, ut non modò in usum vulgarem retulerint, sed etiam, gulam irritando excessum provocarint; unde morborum cohors.

Ergo, ubi Pestis, ibi sani & ægri solis Vegetabilibus alendi.

Proponebat Parisiis JACOBUS JULIANUS CARREL, Constantiensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1722. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.